

fierent, praedicaretur: ut quosdam suos satellites commovit, qui suam cupiditatem adimplere cupientes, occidentales et meridionales Indos, et alias gentes, quae temporibus istis ad nostram notitiam pervenerunt, sub praetextu quod fidei catholicae expertes existant, uti bruta animalia, ad nostra obsequia redigendos esse, passim asserere praesumant, et eos in servitutem redigunt tantis afflictionibus illos urgentes, quantis vix bruta animalia illis servientia urgeant. Nos igitur, qui ejusdem Domini nostri vices, licet indigni, gerimus in terris, et oves gregis sui nobis commissas, quae extra ejus ovile sunt, ad ipsum ovile toto nixu exquirimus, attendentes Indos ipsos, utpote veros homines, non solum christianae fidei capaces existere, sed, ut nobis innotuit, ad fidem ipsam promptissime currere, ac volentes super his congruis remediis providere, praedictos Indos et omnes alias gentes ad notitiam christianorum in posterum deventuras, licet extra fidem Christi existant, sua libertate et dominio hujusmodi uti, et potiri, et gaudere libere et licite posse, nec in servitutem redigi debere, ac quicquid secus fieri contigerit irritum et inane, ipsosque Indos et alias gentes verbi Dei praedicatione, et exemplo bonae vitae ad dictam fidem Christi invitandos fore. Auctoritate apostolica per praesentes litteras decernimus, et declaramus, non obstantibus praemissis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae anno 1537. IV. Non. Jun. Pontificatus nostri anno III.

*Nota D.* — Observationibus Ludovici Godin, Petri Bouguer, Caroli-Mariae de la Condamine, e regia parisiensi scientiarum academia, inventa sunt Quiti; Latitudo hujusce templi, australis grad. 0, min. 13, sec. 18: longitudo occidentalis ab observatorio regio, grad. 81, min. 22. Declinatio acus magneticae, a borea ad orientem, exeunte anno 1736, grad. 8, min. 45: anno 1742, gr. 8, min. 20. Inclinatio ejusdem infra horizontem, parte boreali, Conchae, anno 1739, grad. 12; Quiti 1741, grad. 15. Altitudines supra libellam maris geometricae collectae in hexapedis pariensibus, spectabiliorum nive perenni hujus provinciae montium, quorum plerique flammam evomue-